

TINUM MOLLERUM, Gorb. tertium quondam in Ordine Collegam, nec non **DAVIDEM VECHNERUM**, Freistad. Siles. Sprottaviâ evocatum, creavit.

Novum hoc, idemque egregium, providæ curæ ac incitatis-
simæ pro Rei Scholasticæ salute sollicitudinis in Amplissimo Sena-
tu est specimen. Schola enim, quæ injuriâ temporum quasi con-
fenuerat atque decoxerat, nisi quod aliquando moveret lacertos,
redditâ quasi juventute, paulatim post laudabilem hanc Patrum
Conscriptorum curam revirescebat. Neuter enim Clarissimo-
rum Duum-Virorum horum quicquam de industria deque fide-
litate, de dexteritate remittebat. Remittebat nihil **MARTINUS**
MOLLERUS, nihil **DAVID VECHNERUS**: uterque ut in
Re Scholastica versatissimus, ita in erudienda Juventute felicissi-
mus. Et quamvis non semel turbis bellicis, Anno cum primis
quadragesimo primo, in bimestri obsidione concuteretur Schola:
optimi tamen hi **RECTORES** precibus suis ac laboribus ante
ruinam stabant, officio suo bene semper fungentes. Indefessum
quidem **B. MOLLERI** studium, fidem ac methodicam dexteri-
tatem præ cæteris eruditis Scriptis Scriptum *εινέκδοσον*, idque
prelo dignissimum, cui publicè proposita Praxios Logicæ deline-
atio **ICHNOGRAPHIÆ** titulum ac nomen peperit, testatur.
Non dici certè potest: quantâ fidelitate, quantâ & felicitate ille,
Ideâ præmissâ Logicâ, Praxin Logicam expedierit, Præcepta qui-
dem pauca, sed Usum esse maximum ibidem jubens.

Jubebat idem in accuratissimo *Studiorum Curriculo* **B. VECH-**
NERUS. *Studiorum in Gorb. Freistad. Gymnasio Curriculum* puto: quod
ipse sub ipso statim Rectoratûs sui introitu ita definiverat **B. Vir**:
ut pueri adolescentesque non planè impeditæ indolis, cujuscunq;
Ordinis aut Natalium, Divini Spiritûs aurâ secundante, statuque
Reipubl. tranquillo, per gradus quosdam & veluti metas, sub
quinque ordinatis Classibus octoque fidis, neque operam injuriæ
sensu averfantibus, Præceptoribus, ad Pietatis exercendæ scienti-
am morumque decentiam, Lingvarum item & Artium, quas vo-
cant, Logicarum peritiam, Historiarum etiam Ethicæque notiti-
am, eò usque provehi possent: quò, cum spe optati successûs
Academici Solis Regiam ac Delum adituri, forent provehendi.
Quemadmodum autem *Curriculo* isthoc *Studiorum*, pariterque &
Consilio Scholastico, quod utrumque Dnn. Scholarchis *Mense Anni*
tricesimi octavi Julii obtulerat, raram ac caram Didacticæ suæ Me-
thodum laudatissimus Vir probatum ibat: ita nihilo seciùs fidem
suam, suam industriam, dexteritatem suam, crescente subinde
discipulorum numerò, *Majori Rhetoricâ*, *Rhetoricâ Generali ac Spe-*
ciali, Exemplis cum Classicorum Autorum, tum à se concinna-
tis, copiosissimè illustratâ, nondum tamen editâ, testabatur. Te-
stabatur idem ille non vulgarem Græcæ Lingvæ peritiam **GRAM-**
MATICÆ GRÆCÆ SACRÆ SPYRIDIO. Peritiam Artis
Poëticæ egregiam in **STICHOPOEIA**; raram Styli Latini pe-
ritiam in **LATINITATIS TEMPLO**, sub Schemate Epistolæ
cum Proplasmate Liminis, Atrii, Odæi, Adyti, in *Januæ Comen. de*
Ignis Titulo efformatis, *Lesnæ Pol.* editò; Rerum denique Germa-
nicarum, itinere Germanico & Anglico sibi collectarum, notitiam
UNIVERSÆ GERMANIÆ BREVIARIO, jam olim juris pu-
blici

Novum pro-
vidæ circa
rem Scholast.
curæ in Ampl.
Ord. speci-
men, novaq;
& Gymn. in-
crementa.

M. MOLLERUS cum
DAVIDE
VECHNERUS
Vilimus
Gymn. Rect.

Molleri stu-
dium.

Studium
Vechneri.

Vechneri
Scripta.

312